



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Caput 14. Circa cessationem à Diuinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

DVBIVM LIX.

Prohibitio illa Cap. Quicumque, de hæret. quo locus, in quo hæreticus sepultus est, in perpetuum priuatur, ne alios recipiat, estne proprie Interdictum?

²⁵⁷ *Interdicti localis specialis casus continetur in præfato cap. Quicumque. Nam si hæreticus eiulve receptor, defensor, vel fautor tradatur scienter Ecclesiasticæ sepulture, locus ille, in quo sepultus est, in perpetuum priuatur, ne alios recipiat. Quæstio, an hoc verum sit interdictum?*

²⁵⁸ *Verum interdictum est. Quia vnus ex interdicti effectibus est personam interdictam Ecclesiasticæ sepulture priuare, vel locum interdictum huiusmodi sepulture incapacem esse, hoc est in eo sepeliri. Sic Paludanus in quarto, distinctione decima octaua, questione octaua, articulo primo, Sayrus libro quinto, thesaur. capite duodecimo, numero decimo, Filliucius tractat. 18. num. 140. & alij.*

²⁵⁹ *Non est interdictum verum, sed prohibitio, ne inibi alius fidelis sepeliatur. Quia si interdictum esset, priuaret officiis diuinis, & Sacramentis, non autem sola sepultura Ecclesiastica. Ita Suarius disputatione trigesima septima, sectione prima sine. Alterius de interdictis, disputatione duo decima, capite quarto, numero vigesimo octauo. Bonacina tom. 3. disputation. 4. question. 3. punct. 7.*

²⁶⁰ *Hoc verius esse iudico, maxime cum hæc prohibitio non extendatur ad totum Templum, sed solummodo ad locum illum, seu tumulum, in quo cadauer hæretici, vel eius fautoris sepultum est.*

DVBIVM LX.

lebantes, vel celebrari facientes diuina in Ciuitatibus, Castris, vel locis ab Ordinario interdictis, Cap. Episcoporum, de priuileg. in 6. interdicuntur. At hæ actiones præstandæ necessarione sunt in interdicto locali generali, vt Censura locum habeat?

²⁶¹ *In eo Cap. interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ omnes quantumcumque exempti, cuiuscumque Ordinis, status, vel conditionis existant, qui scienter celebrant, vel faciunt celebrari diuina in Ciuitatibus, Castris, Villis, (nisi quatenus eis à iure conceditur,) seu locis aliis interdictis ab Ordinariis, seu delegatis Iudicibus, vel à iure. Quive excommunicatos publicos, vel interdictos ad diuina officia, Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittere præsumpserint. Interdicuntur autem hi, donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius, cuius sententiam contemplare, competenter satisfecerint. Qua satisfactione posita, interdictum cessat, quia solum vsque ad satisfactionem competentem est latum. Quæ- Esob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.*

stio autem voluit, an præfata actiones, præstandæ necessario sint in interdicto locali generali, vt sit locus huiusmodi interdicti?

²⁶² *Non sunt necessario præstandæ in interdicto locali generali, sed satis est, si in interdicto locali speciali præstentur. Quia textus videtur necessario generaliter loqui, vt colligitur ex verbis superius relatis. Sic Bonacin. tom. 3. d. 4. q. 2. punct. 6. numer. 3.*

²⁶³ *Sunt necessario in interdicto locali generali præstandæ. Quia hæc constitutio præcipue est lata ad comprimendam exemptionum audaciam: exempti autem solum in interdicto generali locali loci exemptionem prætereendere possunt, & non in speciali interdicto. Ita Suar. disput. 37. section. 1. num. 5. Filliucius tractat. 18. num. 147.*

²⁶⁴ *Hoc verius esse existimo. Nam verba textus solum interdicto generali perfecte accommodantur. Inquit enim: Scienter celebrant, vel faciunt celebrari diuina in Ciuitatibus, Castris, Villis, seu locis aliis. At Ciuitas, Castrum, Villa, & locus subiecta sunt generalis interdicti.*

DVBIVM LXI.

Persona hoc interdicto Cap. Episcoporum, comprehensa suntne solum saculares, vel Regulares à iurisdictione Ordinaria exempti?

²⁶⁵ *Solum sunt saculares, vel Regulares à iurisdictione Ordinaria exempti. Quia hos voluit Pontifex speciatim hæ Censura comprehendere: nam Ordinaria iurisdictioni personæ subiectæ ab Ordinariis compelli poterant, nec opus erat, vt à Pontifice Censura hæ compellerentur. Sic Nauarr. cap. 27. num. 157. Couarr. ad cap. Alma, part. 1. §. 6. num. 9. Suarius disput. 37. section. 1. numer. 5. Auila part. 5. d. 5. dub. 4. & alij.*

²⁶⁶ *Non sunt solum saculares, aut Regulares exempti, sed & non exempti. Quia illa dictio, Non sunt quantumcumque exempti, non est restrictiua solum exemptionis, sed ampliatiua. Ita Gloss. ibi, verb. pti. Ingressum. Syluest. v. Interdictum 6. §. 2. Angel. eodem num. 5. Bonacin. tom. 3. d. 4. q. 2. punct. 6. n. 9. & alij.*

²⁶⁷ *Hoc verius esse iudicari. Nam si attente textus verba illa, Omnes quantumcumque exempti cuiuscumque Ordinis status, vel conditio. esse reor. nis existant, perpendantur, hunc sensum proculdubio reddunt: quicumque Clericus, vel sacularis, vel Regularis, etiam si summè exemptus sit.*



CAPVT XIV.

Circa Cessationem à Diuinis.

Ee 3 DVBIVM

DVBIVM LXII.

*An triplex Cessationis effectus sit
annexus cuilibet Cessa-
tioni?*

268
*Questionis
status.*

Effectus triplex communiter Cessationi à diuinis attribuitur, scilicet priuatio diuinorum officiorum, Sacramentorum, & Ecclesiastica sepultura. Queritur vero, an hi effectus cuilibet cessationi sint annexi?

269
Non sunt.

Non sunt. Quia non solum à Summo Praefule (de quo non est dubium,) sed à quolibet Iudice cessatio partialis potest imponi, hoc est, quoad vnicum solummodo effectum, & non quoad omnes verbi gratia, quoad priuationem diuinorum officiorum, & non quoad Sacramentorum, vel Ecclesiastica sepultura. Hæc enim potestas nullibi restricta videtur. Sic Suar. d. 39. sect. 2. n. 15. & sect. 4. n. 4. Fill. tract. 18. numer. 172. & 187.

270
Sunt annexi omnes.

Sunt plane cuilibet cessationi annexi. Quia hi effectus annexi sunt cessationi ex iure communi statuto in cap. Non est 11. de sponsal. ibi: Nulla officia diuina celebrari permittitur. Quod ius immutare nemo, à Pontifice, potest. Sicut ergo nullus potest excommunicationis effectus restringere, quia iure communi sunt statuti; sic nec cessationis effectus poterit restringere. Ita Henric. l. 1. c. 3. n. 1. & c. 5. 4. n. 1. Sayr. l. 5. thes. c. 18. n. 7. Bonac. tom. 1. d. 6. pun. 3. n. 8. Auila p. 6. d. 3. dub. 4.

271
*Hoc longe
probabilius.*

Longe probabilius mihi est, nullum alium præter Pontificem cessationis effectus limitare posse. Neque placet mei Suarii (eius venia dixerim) responsio n. 4. Pontificem illo in c. loqui de speciali cessatione. Nā Doctores omnes inde sumunt argumentum, ad affirmandum, cessationem quamlibet prohibere omnia officia diuina, neque habere locum indulgentiam factam in cap. Alma mater. Præterea si cessatio partialis: & quoad particulares effectus, & non quoad omnes imponi posset: esset multiplex cessatio, sicuti est multiplex interdictum, quam tamen multipliciter nullo modo iura agnoscunt.

DVBIVM LXIII.

Privile-

*gium concessum in Cap. Alma,
extenditurne ad Cessa-
tionem?*

272
*Questionis
status.*

Primus effectus cessationis est prohibitio diuinorum officiorum. cap. Non est vobis, de sponsal. Quæ prohibitio etsi directe Clericos afficiat, laicos etiam comprehendit. Suario d. 39. sect. 2. n. 14. Fillucio tr. 18. n. 166. & Bonacina tom. 1. d. 6. pun. 3. n. 4. attestantibus. Dubitatur autem, num privilegium concessum in cap. Alma, de sent. excom. in 6. ut possint Clerici officia diuina celebrare in loco interdicto, submissa voce, ianuvis clausis, & campanis non pulsatis ad cessationem à diuinis extendatur?

Extenditur quidem. Quia cessatio hæc (spe-
tato iure antiquo sub interdicto contineba-
tur. Et quia rationes, quibus motus fuit Ponti-
fex ad concedendum, ut tempore interdicti ge-
neralis diuina celebrarentur illa moderatione,
scilicet, ne fidelium deuotio tepelceret, ne hæ-
reses pullularent, & que in cessatione à diuinis
procedunt, ergo privilegium interdicto concessum
ad cessationem debet extendi. Sic Archi-
diacon. ad c. Si Canonici. prin. ipso Paludan. in 4.
d. 18. q. 8. a. 3. n. 38. Nauarr. summ. c. 17. num. 189.
Villade. de irregul. ob viol. tionem interdicti. §.
Dicitur esse. & cap. 5. de interdicti. numer. 15. Fil-
burgo summ. confess. libr. 3. titul. 33. questio-
ne 221.

Non extenditur. Quia si liceret Canonici
tempore cessationis generalis, sicut licet tem-
pore interdicti Horas Canonicas dicere (pos-
sent, & deberet, eas Horas recitare, nec priuari
posset distributionibus, sed necessario eas lu-
crarentur. Quo posito, non esset obligatus eas
illis solvere, qui causam cessationi dedit: sicuti
de facto obligatur in c. Si Canonici, §. Si autem,
de officio Ordinarii, in 6. & aperte colligitur ex
c. Diligentis, de appell. & c. Irrefragabili, & cap. Si
Canonici, & cap. Quamuis, de offic. ordin. in 6. &
Clement. 1. de sent. excom. Sic Medina summ.
lib. 1. c. 11. §. 14. Henriquez lib. 3. c. 5. numer. 2.
Sayrus l. 5. thes. c. 19. n. 2. Suarius d. 39. sect. 2. n. 7.
Auila p. 6. d. 3. dub. 3. Coninch. d. 17. n. 83. Laym.
l. 1. tr. 5. p. 4. c. 6. n. 2. Bonac. to. 1. d. 6. pun. Hurtad.
de cessat. diff. 1. n. 58.

Hæc sententia communior quidem, verior
mihi est. Quia non est eadem ratio in cessatio-
ne, ac in interdicto, ut privilegium pro interdi-
cto concessum ad cessationem extendatur. Nā
cessatio à diuinis rarissime, & ob vrgentissimam
causam imponitur, & tentatis pluribus aliis re-
mediis, & semper ob contumaciam alicuius
infringendam. Secus contingit in interdicto. Pro-
fecto si limitationes, quæ in interdicto licent,
in cessatione licerent: cessatio non esset grau-
amen speciale supra interdictum: quod esse con-
tra ecclesie vsum quis non videat?

DVBIVM LXIV.

*Privilegium concessum pro illis quatuor fe-
stivitatibus in Cap. Alma mater,
extenditurne ad Cessa-
tionem?*

Privilegium illud pro festis Natalis Domi-
ni, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis
Deiparæ pro tempore interdicti, ad cessatio-
nem minime extenditur. Quia non est eadem
ratio indulgentiæ huius in cessatione, ac in in-
terdicto: est enim grauius speciale privilegium su-
pra illud. Sic Bonacina tom. 1. d. 6. pun. 3. n. 7.
Layman. libr. 1. tractat. 5. part. 4. cap. 6. m.
mer. 2. Suarius d. 39. sect. 2. numer. 7.
& alij.

Extenditur quidem. Quia id colligitur ex
ipso texto Cap. Alma. Nam ibi conce-
duntur interdicti diebus celebrari diuina
officia non in vi permissionis, sed consti-
tutionis, & ordinationis, inquit enim, in

In illis festiuitatibus Natalis Domini, Pasche, Pontecostes, & Assumptionis B. Virginis Mariae campanae pulsantur, & ianuis apertis, & alta voce diuina officia solemniter celebrentur: ergo aduersus hanc constitutionem non potest cessatio, quae ab inferiore Pontificis indicta est, vim habere. Ita Couar. ad cap. Alma, p. 2. §. 5. n. 5. Henricq. l. 13. c. 53. num. 3. Gutier. l. 1. Canonica. 99. c. 10. Sayr. l. 5. thesaur. 19. n. 6. Sanch. l. 7. de matr. d. 8. n. 18. Auila p. 6. d. 1. dub. 6. concl. 1. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 6. n. 3. Inclinat Suar. d. 39. sect. 2. n. 23.

Ego autem iudico, iuris rigore spectato veram omnino primam sententiam esse: at spectata consuetudine & aequitate, hanc extensionem faciendam proculdubio esse. Sicque cognoui Doctores almae Vniuersitatis Salmanticensis respondisse.

DVBIVM LXV.

Ex vi privilegij concessi audiendi diuina, vel celebrandi tempore interdicti: possuntne tempore cessationis diuina audiri, vel celebrari?

279 *Antiquis* *responso.* *Non possunt.* **M**inime possunt. Quia (ut supra vidimus) cessatio sub interdicto non comprehenditur, sed ab eo distinguitur. Ergo privilegium ad interdictum nequit ad cessationem extendi. Quod maxime procedit in privilegio singularibus personis concessio, quod stricte sumendum est. Sic Nauar. sum. c. 24. n. 189. Suar. d. 39. sect. 2. n. 11. Sayr. l. 5. c. 19. nu. 15. Bonac. to. 1. d. 6. p. 1. sine.

280 *Antiquis* *responso.* *Possumt.* **P**ossunt plane. Quia late privilegium illud est interpretandum, maxime cum iure antiquo parum cessatio ab interdicto distinguebatur. Ita Couar. ad cap. Alma part. 2. §. 4. numer. 7. Henriquez lib. 13. c. 53. n. 3. Et refert ita sensisse quosdam iuris peritos Salmantenses consultos. Sayr. l. 5. cap. 19. n. 5. Auila p. 6. d. 1. dub. 5. concl. 2. limitans casu, quo privilegium concessum fuerit ante constitutionem Cap. Alma.

281 *Antiquis* *responso.* **E**go quidem existimo privilegium non extendi ad cessationem, si fuit singularibus personis concessum: extendi autem si fuit concessum communitati vel personis ratione dignitatis, ut est privilegium concessum Episcopis audiendi vel celebrandi tempore interdicti in Cap. Quod nonnullis, de privileg. & Cap. ultim. eodem titul. in sexto. Hoc enim privilegium late, illud vero stricte est interpretandum. Id autem est certum, casu quo privilegium extendatur, Missam, & officia diuina celebranda secreto esse, & moderatione Cap. Alma apposta, & asseruata.

DVBIVM LXVI.

Licetne tempore cessationis in particularibus binos vel ternos recitare Canonicum officium?

Non licet. Quia id praescribi videtur in c. Permissimus, de sent. excom. ubi: Nulla diuina officia permittatis, aliquatenus celebrari. Et c. Quod inter, de penit. & remis. concessa facultas recitandi tempore interdicti bini, vel terni, minime est ad cessationem trahenda. Sic Doctores Salmantenses teste Sayro l. 5. thesaur. 19. num. 4.

Licet equidem. Quia haec recitatio non est publica, & sollemnis, sed priuata, quae nec interdicto, nec cessatione tollitur. Et quia extra Ecclesiam haec recitatio licita est, ut Doctores asserunt. Ergo etiam in Ecclesia. Nam cum publica sollemnitas abest, accidentale videtur esse quod recitatio illa in Ecclesia geratur. Ita Sayr. ubi sup. Henricq. l. 1. c. 53. n. 2. Suar. d. 39. sect. 1. nu. 14. Bonac. to. 1. d. 6. p. 1. n. 3. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 6. num. 2.

Longe probabilior hanc sententiam esse crediderim. Cui non obstat textus in c. Permissimus, quia intelligendus est de permissione officij publici. Textus vero c. Quod inter, non concedit facultatem, sed quod alias licitum erat, declarat. De pulsione demum campanarum idem est dicendum, ac de interdicto, nullo scilicet modo licere in ordine ad diuina officia pulsari. Secus vero ad alia officia, quae diuina non sunt, nisi consuetudo in contrarium ab Ecclesia matrice obseruetur.

DVBIVM LXVII.

In maiore est Cessatio, non seruatis conditionibus cunctis circa censuras, in c. 1. de sent. excom. in 6. praescriptis?

Causa materialis, seu delictum, ad cuius emendationem ferenda est cessatio debet esse grauissimum, & manifestum notorietate facti, ut eius scandalo possit cessatio occurrere: neque in contrarium stare potest consuetudo, utpote irrationabilis, & in grauamen Ecclesiae cedens. Colligitur ex c. Irrefragabili, de offic. ordinar. & c. Si Canonici, & cap. Quamuis eodem tit. in 6. Insuper haec causa, propter quam imponitur, exprimi debet instrumento publico per Tabellionem, seu patentibus aliis litteris sigillo authentico munitis, quae debent tradi ei, contra quem cessatio indicitur. Pratererea debet prius delinquens moneri, an emendationem, & satisfactionem praestare velit; neque enim cessatio, quae grauissima poena est, indici potest nisi pro contumacia. Porro haec conditiones sunt eiusdem rationis cum illis, quae praescribuntur in c. 1. de sentent. excom. in 6. pro qualibet censura ferenda. Jam requiro, an ad validitatem cessationis debeant seruari omnes praedictae conditiones?

Ecce 4 Debent

285
Debent nec-
cessario.

Debent necessario, ita ut aliqua deficiente inualida sit cessatio. Quia Doctores plerumque conueniunt praefatas condiciones communes esse omnibus cessationibus siue impositis à Capitulo, siue à Praelato. At in *c. Quamuis, de officiis Ordinarii*, in 6. dicitur. *Parte cessante, & supra scripta non seruante* (scilicet quae in illo c. continentur, & quae lata erant in *c. Si Canonici*, & in *c. Irrefragabili*, quaeque in *c. Quauis renouantur*) Cessatio non seruatur. Si igitur non est seruanda cessatio, illis conditionibus in eius impositione seruatis; ergo illae conditiones sunt pro valore cessationis necessariae. Sic Sayr. l. 5. thes. c. 18. n. 16. alios referens. Auila p. 6. d. 2. dub. 2. Et de cessationibus à Capitulo impositis asserit Suar. d. 39. sect. 3. n. 13. Coninch d. 17. n. 90.

286
Necessario
non debent.

Non debent necessario omnes hae conditiones seruati. Quia in *c. Quamuis*, & *c. Si Canonici* non redditur sententia inualida. Et ex ipso iure naturali praedictae conditiones pro valore cessationis non requiruntur. Ita Suar. d. 38. sect. 3. n. 8. & 11. Coninch d. 17. n. 90.

287
Auctoris
resolutio.

Existimo, in qualibet cessatione has conditiones esse obseruandas, at ob earum defectum non fore irritam cessationem, sed solum iniustam. Tantum de monitione crediderim necessariam esse eam scilicet, quae sufficeret ad notitiam habendam de cessatione imponenda, quaeque ad valorem cuiuscumque censurae requisita foret, non autem quod fiat tali tempore, & modo, quo in praefato *c. Quamuis* praescribitur.

DV B I V M L X V I I I.

Si Capitulum, Sede vacante, velit cessationem imponere, debetne quasdam condiciones ei praescriptas necessario obseruare?

288
Nonnulla
praemittit.

Praeter supradictas condiciones, aliae sunt seruandae pro cessatione imposita à Capitulo, scilicet, ut ad hanc cessationem imponendam, conuocentur omnes, qui conuocandi essent pro electione quauis facienda: qui inter se debent conferre, an expediat cessationem imponi: Et consultatione facta suffragia sunt ferenda, & ex maiori parte suffragiorum cessatio decernitur. Alias sicut electio sine hac conuocatione, consultatione, ac determinatione est nulla *c. Coram dilecto c. Propter, de elect.* Sic cessatio, quae electioni comparatur in *c. Quamuis, de officio ordinarii*, nulla erit, ut annotauit. Sayr. l. 5. thes. c. 18. n. 14. Quaestio igitur est, num Capitulum Sede vacante debeat has condiciones in Cessatione ferenda obseruare?

289
Debet quidem.

Debet quidem. Quia textus in *c. Quamuis* has praescribit condiciones obseruandas à Capitulo, seu conuentu, qui ex maiore parte Canoniorum, seu conuentualium coalescit. Sic Auila p. 6. d. 2. dub. 2.

290
Non debet.

Non debet. Quia Capitulum, Sede vacante, non per se, sed per Vicarium electum iurisdictionem exercet iuxta Tridentinum *ses. 24. c. 16.* Ita Suar. d. 39. sect. 3. n. 10.

291
Auctoris
resolutio.

Ego existimo, primam sententiam veram esse, casu, quo capitulum, seu conuentus per se cessationem indiceret. At cum Capitulum, Se-

de vacante, non per se, sed per Vicarium electum iurisdictionem exerceat, ea de causa ad imponendam cessationem non indiget Canoniorum conuocatione, & aliis in *c. Quamuis* praescriptis.

DV B I V M L X I X.

Religiosi exempti obliganturne seruare, & publicare in suis Conuentibus Cessionem impositam à Praelato, seu Capitulo, & in Ecclesia matrice obseruatam?

Certum est, grane piaculum perpetuum, qui cessationem celebratione diuinorum officiorum, administratione, vel receptione sacramentorum violauerit. Quia legem Ecclesiasticam ob grauissimam causam impositam transgreditur. Solum est dubium, an Religiosi exempti obligentur seruare ac publicare in suis Monasteriis cessationem impositam à Praelato seu Capitulo, & in Ecclesia matrice obseruatam?

Non obligantur. Quia Tridentinum *ses. 25. c. 12. de Regul.* solum praecipit obseruari censuras, ac interdicta: At cessatio à diuinis nec est censura, nec interdictum etiam poenale: ergo in praedicto decreto non continetur. Sic Alteri. de interdictis d. 2. c. 8.

Obligantur equidem. Quia Concilij decretum expeditum fuit in confirmationem Clement. 1. de sent. excom. ubi tam Regulares exempti obligantur, interdicta, & cessationes à diuinis seruatas ab Ecclesia matrice obseruare. Ita Bonac. ar. 1. d. 6. puncti. 3. n. 10. Palao de cens. d. 3. pun. 9. §. 4. n. 2.

Hoc dicendum. Nam licet textus in principio solius interdicti mentionem gesserit colligitur sub interdicti nomine voluisse cessationem à diuinis comprehendere: ut colligitur ex illis verbis: *Quod etiam in interdictis, & cessationibus* &c. quae indicant, antea de interdictis, ac cessationibus sermonem esse factum. Praeterea in cessatione magis vigent rationes obligantes, ut Religiosorum conuentus cum Ecclesia matrice conformentur.

DV B I V M L X X.

Contrahiturne Irregularitas à Clerico violante cessationem generalem?

NVlla poena est laicis cessationem violentibus ipso iure imposita, sed Iudicis arbitrio puniri debent. Clericis vero, & Religiosis tam exemptis quam non exemptis imposita est excommunicatio ipso facto in Clement. 1. de sent. excom. Debet tamen cessatio esse generalis, & ab Ecclesia matrice obseruata: nam ex violatione cessationis specialis nulla poena ipso iure contrahitur. Quia nullibi habetur, nec de praedicta cessatione loquitur Clementina. Quaeritur autem, num irregularitatis poena contrahatur à Clerico violante hanc cessationem generalem ab Ecclesia matrice obseruatam?

Con

197 *Circa hunc.* Con trahitur quidem. Quia in dicta Clement. i. cessatio æquiparatur interdicto, ob cuius violationem irregularitas contrahitur. Sic nonnulli Doctores quos, presso nomine memorat Castro Palao de censur. disputatione quinta puncto nono Parag. quart. numer. 4.

198 *Non contrahitur.* Non contrahitur. Quia pœna huiusmodi nullibi est expressa, & irregularitas non contrahitur nisi in casibus à iure expressis. Cap. Is cui, de sententia excommunicationis in sexto. Ita Palao citatus. Gloss. ad cap. Si Canonici. Abbas ad cap. Dilectis filiis, de appellat. numero decimo octavo. Palud. in 4. distinctione decima octava articulo tertio numero trigesimo octavo. Nauarr. summ. capite decimo septimo numer. 189. Suarius disputatione trigesima nona sectione prima numero octavo. Auila part. 6. d. 3. dub. 2. concl. 4. Henric. l. 13. c. 54. n. 3. Sayr. l. 5. thes. cap. 18. num. 9. & alij apud ipsos.

199 *Hic verius.* Verius hoc. Quia licet in Clement. i. cessatio æquiparetur interdicto, idest solum quoad pœnam excommunicationis impositam Religiosis interdictum, & cessationem generalem non obferuantibus: non tamen quoad reliqua omnia.

DUBIUM LXXI.

Potesne per appellationem suspendi cessatio, si executioni mandata non sit?

300 *Non potest.* Non potest suspendi. Quia non à iure, sed à iudice decernitur: ideoque ad factum pertinet, quod non videtur appellatione suspendi posse. Sic Abbas ad c. Dilectis filiis. Villadieg. relatus à Couar. ad c. Alma. p. 2. §. 2. nu. 1. Sayr. l. 5. thes. c. 17. n. 7.

301 *Potest qui. dem.* Suspendi potest. Quia per appellationem impeditur iurisdiclio imponentis, & ex defectu iurisdictionis nulla erit cessatio. Ita Couar. citatus. Soar. d. 39. sect. ult. nu. 3. Henric. l. 13. c. 12. num. 1. & in Gloss. l. O. Auila part. 6. d. 3. dub. 1. concl. 1.

302 *Auctoris resolutio.* Crediderim, sententiam cessationis executioni mandatam appellatione non suspendi; quia secum trahit executionem, quæ nulla alia via impediri potest, quam relaxatione. At bene suspendi posse, si executioni mandata non sit; quia per appellationem (vt dixi) impeditur iurisdiclio imponentis, unde nulla erit cessatio.



LIBER